



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XLVII. D. Nicetivs XXI. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

S E C U L U M VI.

XLV. S. FIBITIVS. XIX. ARCH.

ANno Salutis 500. D. Fibitius Archipræful creatus Episcopali munere cœpit inclarescere; ejusdem namque probatam multis egregiis factis Sanctimoniam, patrata etiam post mortem beatissimam miracula prodiderunt. Ossa D. Antistitis in Oratorio juxta Mosellæ pontem sepulta, vel improborum injuriâ, vel religione Christianorum immodica, loco suo amota sunt: nihilominus S. Præfulis in Ecclesia manet & viget memoria perpetua. An. seculi V. 28. mortuus, totidem annos Sedis numeravit.

XLVI. D. APRVNCVLVS. XX. ARCH.

DAprunculus eximia vitæ sanctitate Treviris adstitisse scribitur. Sepultus est anno Sedis 4. Christi 532. juxta odeum S. Paulini.

XLVII. D. NICETIVS XXI. ARCH.

DNicetius illustri genere, illustriori doctrina & virtutibus à tenera ætate in Galliis excultus, in Archiepiscopum Trevirorum ante alios deligi est promeritus. Cœlestibus signis, in utero matris jam illustratus, dum Sedem arduam invitus conscendit, sensit tergori suo onus nemini visum, longè tamen gravissimum incumbere: at oneri accessit odor cœlestis, ex quo collegit futuros labores ac dolores solatio miscendos. Oneri maximo Archipræfuli erant Theodoberti Regis adulteria, & mores populi parùm probati, quos insigni libertate perstrinxit: Rex enim nec monitis, nec minis emendatus, cum scelera sceleribus neceret, Sacris à Nicetio est interdictum pervicaci; qui cum irâ frendens & exæstuans in templum irrumperet, continuo

M 2

puer

puer arreptitius Regem adulterum proclamavit, nullis hominum viribus, tametsi Rex imperaret severissimè, loco amotus. Arvernensi dein Synodo, in qua Sacerdotum ambitus severè castigatus, & cœlibatus pro viribus imperatus, interfuit. Annis duobus elapsis, B. Aredium Theodoberti Regis familiarem virum, fugere aulam, & Clericis accedere docuit, advolantis columbæ augurio vocationem probante. Circa annum seculi huius 50. Bisschoffsteini-um castrum in ripa Mosellæ triginta turribus, Oratorio, propugnaculo & aquæ ductibus conspicuum, futuram Cardonæ Archidiaconorum sedem ædificavit. Annorum 32. Archiepiscopus annis tribus vitæ ultimis sensit maximopere & onus novum & cœleste solatium: Clotharium enim totius Franciæ Regem dum communionem Fidelium, ob incestum, & parricidium privandum censuit, ab eodem in exilium ejectus, non tam sua, quàm Regis miserimi fata doluit: hinc enim mox extinctus, Nicetius verò à filio Clotharii Sigeberto Austrasiæ Rege restitutus an. 563. sanctissimam vitæ sanctæ coronidem imposuit, miraculis compluribus inter vivos & mortuos illustratus.

XLVIII. D. RVSTICVS. XXII. ARCH.

D Rusticus S. Nicetio subrogatus dissolutionis vitæ maculas mirâ & rarâ sui conversione emendavit. Ea nimirum ætate D. Goar Sacerdos virtutibus clarissimus hospites multos hospitio excepit, præter Dei honorem & proximi salutem nullam facilè mercedem admittens. Verùm hac ipsa de causa à pravis hominibus in suspicionem sceleris vocatus, quin ad ipsum Archipræsulem delatus est. Tum fortè, aut veriùs Deo mittente attulerunt infantem exposititium, patris Goaris, ut mentiebantur, sacrilegum natum. Rusticus igitur cùm juberet, ut præsentis pueri parentes Goar proderet, isque orationi intentus ipsum *met infantem & patrem & matrem suam* nominare rogaret, continuo omni

ni